OBSERVATIO

De Calculo enormi in urethra reperto.



FRANCISCO VARGAS MACCIUCCA

EQUITI HIEROSOLYMITANO

REGIÆ CAMERÆ PRÆSIDENTI FISCIQUE PATRONO

FERDINANDO LATILLÆ

PATRICIO CAPUANO

SUPREMI S. CLARÆ SENATUS CONSILIARIO

DOMINICO FIGLIOLÆ

REGIÆ CAMERAE PRÆSIDENTI

FRANCISCO MARIÆ MIRELLIO CARAFÆ

THEORÆ PRINCIPI

PETRO MARMULEJO

VALETUDINARIÆ COHORTI ARCIQUE AD CARMELITARUM PRÆFECTO

V. VIRIS CLARISSIMIS

TEMPLI NOSOCOMII AMPLISSIMÆQUE DOMUS

D. JACOBI APOSTOLI HISPANICÆ NATIONIS CURATORIBUS

JOSEPH VENTURA

EJUSDEM NOSOCOMII TUM INCURABILIUM

PRIMARIUS MEDICUS CHIRURGUS

LUCUBRATIUNCULAM HANC

GRATI ET OBSEQUENTIS ANIMI TESTEM.

D. D. D.

CAlculos in plerisque humani Corporis partibus coalescere, Anatomici, Medicique passim observarunt; at nusquam facilius, quam ubi urina intercepta aliquandiu hæret. Quod

autem, *de morbis vulgaribus* Hippocrates, ex utero aniculæ calculum extractum memorat, non dubitarem, ex urethra facile revera id accidiſſe: quæ, communione loci, alveique extremi coincidentia, potuit obſervatores decipere; qui proinde veſicæ, ſive urethræ opificium, pro uteri ejectamento accepere. Atqui in urethra ipſa, non tam promptam, nec tam facilem eſſe hujuſmodi congeſtionem, & coaleſcentiam, is facile intelliget, qui reputaverit nativam ejus canalis levitatem, lubricitatemque: tum etiam pronum, citatumque, per eum, urinæ effluxum. Ut ut autem ſit, cum mihi nuper evenerit, calculum ſatis inſignem in urethra deprehendiſſe; e re chirurgica fore putavi, quicquid de illius ortu excogitatum, quidve in eo extrahendo, ægroque curando, ſit factum, in publicum edere.

In uno e noſtræ urbis clivis, cui vulgare nomen Pirozzoli, haud longe a Sinenſium collegio, domum habebat Joannes Tavolarius, qui natus anno MDCXCI. ſic arctum habuit a nativitate præputium, ut naturali mictus effluvio reſiſtens, in orbiculumque ſe expandens, lotium, non juxta urethræ modulum, emitti ſineret, ſed ab exiguo ipſius præputii ore, quaſi per ſiphunculum exſilire.

Trigeſimo ætatis anno uxorem duxit; cumque ex maritali miniſterio ſpes foret, ut, laxatis præputii compagibus, glandeque detecta, vel ipſi generationi, ne dum mictui expeditior colis evaderet; hymen haudquaquam votis arriſit: ſpemque omnem feſellit dilaceratio, eamque ſecuta hæmorrhagia; conglutinatis ſiquidem inter ſe partibus, quas concubitus divellerat, ipſa compactionis crepido anguſtum præputii foramen adeo arctavit, ut nedum ſeminis jaculationem, ſed vel erumpentem lotii fluxum pluſquam antea cohibuerit. Immo cum annum attigiſſet XLV. eo excrevit anguſtia, tantamque mingendi difficultatem æger expertus eſt, ut ſingulis mictionibus ternos horæ quadrantes aliquando inſumeret.

Rebus ita ſe habentibus, Tavolarius nonnullos medicos conſuluit, qui, explorata parte, gentianæ radicem præputii foramini immittendam cenſuerunt: ea ſpe, ut, ex illius inflatione, aliqualis fibrarum extenſio, ampliorque arcti foraminis hiatus haberetur. Haud fruſtra tentatum hoc præſidium fuit; quamvis enim præputium non ſatis aperuerit, mingendi tamen difficultatem, integro ſane decennio, quodammodo imminuit. Sed, poſt tanti temporis di-

utur

uturnitatem, æger paxilli illius fastidio pertæsus, alios adivit, ut ipsum & eo liberarent incommodo, & sibi opem, quam possent, utiliorem præstarent. Ex multis hinc illinc conquisitis consiliis, quod certe expeditius futurum fuisset, repudiatum est, longa scilicet, præputii incisio, per quam contracta hinc inde scissarum partium labia, nullum amplius urethræ ori impedimentum afferre possent; & sic glans, hactenus delitescens, in lucem prodiret. At pusillus ægri animus, panico timore perculsus, cultrum, omnemque cruentam chirurgiam perhorrescens, mitem, blandulumque medicum accivit; qui metui potius, quam morbo prospiciens, comiter eum adhortatus est, ut ad intermissum gentianæ usum rediret: ac non male secum agi putaret, si, usque ad extremum vitæ diem, ea uteretur: hac amplius opitulatione adjecta, ut, quoties hujusce radicis irritatione, pars recrudesceret, tubulum plumbeum urethræ, per præputii hiatum, aptaret, cujus ductu, urina proflueret.

Quoniam autem æger, ex frequentissimo usu, tubulum hunc plumbeum facillime immitteret coli, forte fortuna eo tandem immissus descendit, ut totus se abdiderit in urethram. Hinc factum, ut fistula plumbea, quæ aperiendis tum urethræ, tum præputii oris, ac proinde expeditiori mictui, inservire debebat, meatum ipsum urinarium, mole sua, excæcarit. Ad antiquas hinc angustias remeante præputio, urinæque semita plumbo obstructa, mingendi facultas duplici cæpit impedimento præfocari. Cum hinc ardores, doloresve in dies succrescerent, æger ad gentianæ opem iterum frustraque recurrit. Interim sive quod doloribus occalluerat, sive quod chirurgici cultri metum animo ejicere nunquam potuit, ad eam segnitiem, socordiamque silentio abductus est, ut per sexennium, & ultra, nunquam, de plumbo illo extrahendo, consilium ceperit. Morbo subinde ingravescente, eo res devenit, ut pridie idus Novembres MDCCLXII. æger per quam difficulter micturire cæperit, immo post biduum omnino lotium suppressum est; magnus hinc exortus rigor, cum vehementi febri, mentulæque tumor mirum in modum excrevit.

His territus Tavolarius, affinem suum arcessivit Joan. Thomam Bonincontrium, virum in re medica præstantissimum, qui novissimam morbi causam, aliam forsan, quam abditum plumbum existimans; ut æstuantem ægrum reficeret, primo

phlebotomiam præscripsit, oleiq. dulcium amygdalarum, cum violarum sirupo propinationem: peni deinde, ac pectini, jam tumidis, malvæ cataplasma, ex lacte, & aqua florum sambuci paratum, apposuit: indicta insuper frequenti malvacei decocti potione, nec non clysteris identidem usu, ipsi auctor fuit, ut chirurgorum consilium, & operam advocaret.

Cum hæc audivisset æger, amicum chirurgiæ professorem consuluit, quippe qui vetustum ejus præputii vitium bene callebat. Hic, parte inspecta, cum penem, lapidis instar, fere obduruisse videret, colorem ex purpureo nigricantem præseferentem, resolventia medicamenta admoveri jussit; & cum ne sic quidem durities illa evinceretur, ad ultimum remedium, amputationem scilicet membri, deveniendum esse censuit. Sed malactica quæque vana fuere: visque morbi omnia id genus præsidia frustrabatur. Tumor enim grassari jam cæperat, ac penem, pubemque, & inguina, atque scrotum ipsum invaserat. Hæc autem omnia ad XIV. diem Novembris, cum febris incremento, omnimodaque urinæ suppressione, perdurarunt.

Eadem die, diversis tamen horis, ad ægrum vocati fuimus ego, & Philippus Palumbus, non parvi nominis chirurgus: uterque in ea fuimus sententia, lotii defectus, atque progressæ in attiguas partes luis, aliam non esse caussam, quam plumbeum illum tubulum, urethræ inhærentem, qui nisi extraheretur, atque urinæ liber exitus pateret, partes affectas facile in necrosin dilabi posse. Inclinante autem die, ut spatium captaremus, præsentiora remedia excogitandi, susceptam curæ rationem vel in crastinum servari placuit; uno tantum cauto: ne scilicet magnam aquæ vim æger, ut antea usitatum, hauriret; maxime namque pertimescendum erat, ne exundans inde urinæ copia partes magis magisque urgeret, atque intenderet.

Postridie ad ægrum visendum accedens, ibi duos alios, æque claros chirurgiæ professores offendi, Pompejum Pizzogrossum, & Cajetanum Martinellium; sed erat ibi etiam ægroti affinis Medicus Bonincontrius. Enarrata hinc omnibus morbi caussa, partibusque diligentissime inspectis, ac perquisitis, una mecum omnes in eo constiterunt, tubulum plumbeum sexennio & amplius, ægro tacente, in urethra delitescentem, omnino extrahendum esse; atque ad id omnes vires impendendas, unanimi iudicio conclusum; alioquin geni-

ni-

nitale membrum, simul cum vicinis partibus, brevi gangræna corruptum iri.

At obstruentis plumbi situs erat ignotus, diuque hæsitatum, in media ne, an extrema parte urethræ, aut in aliquo ejus peculiari situ, num in collo vesicæ, an in sphinctere, vel circa perinæum latitaret; omnes enim hæ partes intumuerant, atque extensæ videbantur. In communi hac hæsitatione, cuidam placebat perinæum pungere; sed ab hoc consilio ut discederemus, duo suasere: primum excedens, partium tumor, qui incommodum huiusce operationis situm, apparatumque, ægro difficilem faciebat: alterum, quod ex hac punctione effectui potius, quam morbi causæ, medicina adhiberetur; exuberans quippe urinæ pondus eo præsidio extractum fuisset, minime vero plumbeum illud repagulum. Quapropter tutiorem, a me latam, sententiam omnes sequuti sunt, aperiendi nempe præputium, ut detecta glande, per urethræ foramen, plumbum insectari, aptoque instrumento detrahi posset.

Itaque ad operationem manum admovens, ægrum supinum jacere jussi: forfice dein reciso præputii latere superiori (inferior namque pars freno vincta, crassior erat, atque obesior) specilium in urethram immisi, quod vix transmeata glande, solidum offendit obstaculum. Adhibui cito ferrum illud, quod Joan. Andreas a Cruce hastam, Hildanus speculum cæcum vocat. At frustra; nam & ipsi solidum illud nihilominus obstitit. Re perpensa, uno ore omnes affirmavimus, plumbum, sexennali adhæsione, adeo carni adglutinatum esse, ut unum, cum ipso pene, quasi membrum efficeret. Quamobrem necesse fuit, glandem ab ore sursum incidere, eandemque hastam iterum immittere; quod cum etiam frustra tentassem, dentatam forcipem intrudere coactus fui; eaque, non sine immodico nisu, ægrique dolore, lapidem quendam oblongum, non parvæ molis, extraxi, conicam quasi formam habentem, scabrum, atque friabilem.

Cum unusquisque, vice plumbi, lapidem extractum aspiceret, sanequam mirabamur, mentemque animumque nunc huc, nunc illuc dividebamus, hærentes, an in imo urethræ fundo plumbum illud adhuc lateret. Ut anxia hac dubitatione excuteremur, iterata specilli immissione opus erat; jamque ad eam peragendam animum induxeram. Sed mihi moram fecit illa non levis suspicio, fore ut plumbeus ille tubulus

bulus in ipso lapide occuleretur, eoque propemodum cooperiretur. Et quidem, fracto lapide, patuit tubulus, subtiliori lapidis parte circumquaque refertus, in eoque concretus.

De lapidis hujusce ortu, mole, ac forma, priusquam plumbum repertum fuerit, quisque pro libito suum protulit judicium. Cum vero constiterit, quod in medio fere veretro tubulus ille insederit, ac plumbea sua inertia, per sexennium naturali mictus effluvio obstiterit, ejus coalitionis ratio facile fuit excogitata. Siquidem urina, plumbeo aggere præpedita, ac micturientis conatu, per tubuli foramen, vel inter tubuli, urethræque angustias erepere, & exilire coacta; ut istis expediretur anfractibus, secerni certe oportebat; plumboque illo, corpulentiores lotii partes, veluti quodam colo sejungi. Cum hinc secretæ partes, utpote arenaceæ, ac sabulosæ, facili negocio plumbo adhærescerent, tubuli foramen sensim obstrusere. Adaggerata proinde quotidiano lotio ipsarum partium adhæsione, obductoque ab ipsis undequaque tubulo, hic lapidescere, atque calculi instar coalescere cæpit. Qui, sexennali mictus aggestione, cum ea oblonga excreverit forma, qua ipse urethræ modulus, ipseque erepentis urinæ fluxus siverint coalescere, eo tandem adactus est, ut unciali ferme crassitudine, urethræ ductum, per palmi fere quadrantem, omnino obstruxerit.

Quoniam vero penis valde intumuerat, ac rubro quodam, & sane livido erat colore suffusus; atque glandis apex quodammodo necrosim minabatur; non abs re duxi ejusdem veretri superficiem leviter exarare, atque, ut ajunt, scarificare; ut, qua data porta, sanguis efflueret, & vasorum obstructio minueretur. Hoc enim præsens necrosi obstaculum videbatur. Jussa insuper venæ apertione, solitam aquæ epotationem vetui, ne urina quoque, copiosius inde secreta, exuberaret. Cui curationi sedula Bonincontrii, ad sui affinis salutem tuendam, atque provida, consilia accessere.

Eadem die major urinæ vis, ac liberius emissa, mitigata febris, partiumque affectarum tumor paullatim decrescere cæpit. Uno tamen incommodo angebatur ægrotus, urinæ nempe ardore, per incisas, atque a lapidis divulsione laceratas, partes permeantis. Veruntamen fotis, illitisque de more partibus, XIV. post die, febri liber is fuit; & quamvis ulcera non occalluerint, ad cicatricem tamen tendere videbantur, lotiique ardor plurimum deferbuerat.

Tot

Tot tantaque igitur arrisere argumenta curationis, brevi ac feliciter cessuræ, ut æger cibo refocillari cæperit.

Sed intra paucos dies febris iterum exarsit; cumque tumores duo, in pube unus, alter in scroto emerserint, ac emarcuerint; ex illorum suppuratione febrim exortam esse, cum aliis judicavi; quandoquidem pure ex iis ejecto, sinubusque ipsis detersis, febris æstus oblanguit, licet, nunquam ægrum deinde dimiserit; qui præterea ea stomachi nausea, & languore afficiebatur, ut quicquid esculentorum ei afferretur, impense fastidiret.

Sane multis ab hinc annis podagra laborabat, eique pedes, & crura ædemate ingravescebant; cumque humores isti, hujus curationis tempore, evanuissent, ex inopina hac metastasi, Medicus Bonincontrius non temere conjectabat, febrim enatam esse. Et vero exitiosum ægro fuisse hunc ædematis retrocessum, quo vitalioribus corporis partibus labefactatis, ipse ad interitum tendere visus est, vel ex eo facile dignoscebatur, quod licet præputii, ac penis ulcera probe abstersa forent, eoque sano niterent colore, ut mox cicatricem ductura cernerentur; is tamen non minus ex pectore, quam ex ventre multam saniem egereret. Quod cum per sex dies, magno cum febris ardore, & gravi capitis sopore, eum incesserit; tandem VII. Kal. Decembres MDCCLXII. die vero XXXIX. post calculi extractionem, profecto immedicabilis occubuit.

Ex hactenus dictis, duos fere morbos recensuisse mihi videor, alterum quo mictus, alterum quo spiritus ægroto præreptus est. Sed non mihi animus erat, utriusque morbi historiam perscribere. Quæ de secundo sunt adiecta, non sane lubens adjeci. Siquidem cum fatifera ejus morbi vis, subrepens & inopinate devenerit, ut spem omnem ægrotanti Tavolario, ac vitam denique ipsam ademerit; ex hoc ipso quidem coactus sum, vel leviter hujusce accedentis morbi exitium perstringere; quod operæ, a me, in ejus *Ischuria* curanda, impensæ, fructu propemodum certo orbaverit. Hinc nonnisi patentiora sævientium ejus virium signa percensui, quæ, pridie quam extremum obiret diem, æger, excreta sanie, ac æstuosis febribus, depromsit.


Ceterum quod amicorum impulsu apud me statui, illud sane erat, ut quæ in primo, eoque non unius anni morbo, ejusque curatione observatu digna visa sunt, studiosæ ju-

juventuti proponerem. Sane ſpecies hæc morbi cum mihi æque ac aliis, ad medelam accitis, rara ſit viſa, non dubito quin aliquid novitatis vel iis afferat, qui medicinam morborumque cauſas, ex id genus chirurgicis, anatomicisve obſervationibus, haurire moris habent. Scio, innumeras calculorum ſpecies a noſtris auctoribus referri, ſive internis, ſive externis cauſis enatas. Et præter Olaum Borrichium, (*a*) Joſephum Lanzonum, (*b*) Ruiſchium, (*c*) Valliſnerium, (*d*) alioſque viros Clariſſimos, qui medicinæ, ac reipublicæ bono, plurimas hujuſmodi obſervationum centurias collegere; locupletiſſimus quidem, & ut in ceteris omnibus, ita & in hac re eſt accuratiſſimus Morgagnius (*e*); verum inter millenos ab ipſis notatos lapides, nullum, quod meminerim, in urethra virili efformatum reperi. Quodque ſpeciei huic ineſt undecumque ſingulare, & admiratione dignum, ſumma certe ægroti patientia, qui ultra ſexennium pertulit, occluſum plumbum, ipſa ſe urina ſenſim aggerante, eo uſque obſtrui, ac lapideſcere, ut mole ſua totum quaſi urethræ ductum oppleverit.

Poſtremo quicquid gratiæ mihi habuerint adoleſcentes, quod hanc obſervationem eis, veluti parvam, pro tenuitate mea, ſymbolam, inter multijuges, magnificoſque hujus generis, ab aliis extructos, apparatus, contulerim; ſatis mihi ſuperque erit, ſi amici, quibus morem geſſi, eandem, pro ſua erga me benevolentia, veluti merum obſervantiæ argumentum excipiant.

(a) *Diſſertatio de lapidum generatione in macro, & microcoſmo.*
(b) *Additio ad Olai Borrichii diſſertationem.*
(c) *Obſervationes medic. Chirurgicæ.*
(d) *Obſervationes variæ.*
(e) *De ſedibus, & cauſis morborum per anatomen indagatis.*

Icones integri hujus calculi, ac duorum ejus fruſtorum, nec non tubuli plumbei, in uno ipſorum concreti, litera A ſignati, videſis in adjecta tabula num. I. II. III. In qua etiam exhibentur inſtrumenta in chirurgica operatione adhibita, nempe num. IV. Specillum. V. Speculum Cæcum. VI. forfex. VII. forceps dentata.


Fig. II.
A
Fig. III.
Fig. I.
Fig. VII.
Fig. IV.
Fig. VI.
Fig. V.
Sculp.